Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26106
Copyright: Admont, Benediktinerstift

traxerat. pullus asine lasciuus et liber populum nationum significat. Super quem nemo adhuc hominum sedit. quia nemo rationabilium doctorum frenum correptionis quo uel linguam cohibere a malo. uel in artam uite uiam ire cogeretur. nemo indumenta salutis quibus spiritualiter calefieret populum gentium utilia suadendo contulerat. Sederet namque super illum homo siquis ratione utens eius stultitiam deprimendo corrigeret.

Unde non inmerito possunt duo discipuli adhibenda domino animalia destinati duo predicatorum ordines. unus uidelicet in gentes alter in circumcisionem directus intellegi.

Et abeuntes inuenerunt pullum ligatum ante ianuam foris in biuio et soluunt eum. Bene pullus ante ianuam foris inuenitur in biuio. Ianua ipse est qui ait. Ego sum ianua ouium. Per me siquis introierit saluabitur et ingredietur et egredietur et pascua inueniet. Quibus uite pascuis iste pullus id est populus gentium carebat. cum adhuc extra hanc ianuam in biuio ligatus stabat. Et recte in biuio. quia non unam certus uite fideique uiam tenebat. sed plures dubiosque sectarum calles sequebatur erroneus. Et quidam de illic stantibus dicebant illis. Quid facitis soluentes pullum? In luca scriptum est. Dixeruntque domini eius ad illos. Quid soluitis pullum? Et apte satis. multos quippe habebat dominos qui non uno dogmati et superstitioni deditus. sed pluribus inmundorum spirituum ad uarios diuersosque miser raptabatur errores ad simulachra muta prout ducebatur incedens. Denique uernacula quadam scripture consuetudine commune dicitur esse quod inmundum est sicut et ad petrum uox de celo dicit quod deus mundauit tu commune ne dixeris. quia qui sanctus est solius dei est. et cum nullo ei communis est. qui autem peccator est et inmundus multorum est. Multi enim demones possident eum